

## CAPVT X.

### TITVLI VIRORVM NONNVILLORVM IN LITTERIS CLARORVM.

---

**2915** Quintus Hortensius.

*Romae in villa Albania, sub protome marmorea (I p. 281, VI 1509; delineavit Iordan ann. inst. arch. 1882 tab. L cf. p. 63. 64).*

**2916** M. Cicero, an. LXIII.<sup>1</sup>

*Sub protome marmorea, quae adseratur Matriti, (I p. 281 VI 1525 vidit Huebner; titulus fortasse Cicerone non multum recentior; ipsam protomen non antiquam sibi videri ait Aldenhoven arch. Zeitung 1885 p. 235). — 1) Cicero natus d. 5. Ian. a. u. c. 648, occisus d. 7. Dec. a. 711, anno aetatis sexagesimo quarto.*

**2917** Σωκ[ρ]άτης — Seneca.

*Romae, nunc Berolini in museo, herma duplex (VI 5858; Königl. Museen zu Berlin, Beschreibung der antiken Sculpturen p. 158 n. 591).*

**2918** [Ap]olonius Thyaneus.

*Romae, pictum in pariete cubiculi domus privatae, cuius rudera lucem videbunt in monte Esquilino (Bull. comunale 1884 p. 49 aegre legit Lancianius; aliae nesciunt cum imaginibus suis perierunt).*

---

**2919** T. Livius C. f. sibi et | suis, | T. Livio T. f. Prisco f., | T. Livio T. f. Longo f., | Cassiae Sex. f. Primae | uxori.

*Patavii (V 2973 vidit Mommsen). — Titulus temporum circiter Augusti, nam postea raro duobus nominibus contenti erant. Fieri potest ut hic habeamus Livii rerum scriptoris titulum sepulcralem. Hunc enim duobus tantum nominibus T. Livium appellatum esse constat. Eundem nullis publicis honoribus functum esse paene certum est; si quae patriae praestitit, non putandus est ea in lapide sepulcrali incidisse. Livium Patavii defunctum esse tradit Hieronymus (chron. ad an. Abr. 2053). Livii filius memoratur a Plinio inter auctores adhibitos (lib. 5. 6) et a Quintiliano 10, 1, 59. — Non recte a Patavinis per multum tempus pro Livii rerum scriptoris titulo sepulcrali habitus atque etiam cultus est hic titulus: v. f. | T. Livius | Liviae T. f. | Quartae l. | Halys | Concordialis | Patavi | sibi et suis | omnibus (V 2865 vidit Mommsen). Auctor huius erroris Patavinis videtur fuisse Franciscus Petrarcha, epistula scripta VIII kal. Martias a. 1350 (ep. de reb. fam. 24, 8 t. 5 p. 281 ed. Fracassetti).*